

1613 dem pacis bellicue jactatione res essent; certisque nuntiis afferretur, Manoglium quemdam novos in Syria motus concitare, rebelliumque præfectum declaratum, armis adversus Cassisem Damasci Bassam illatis, multis Turcis profligatis, ingentem de eo victoriam retulisse. His fiebat, ut nihil certi de pace firmanda, vel bello renovando statueretur: dum interea pestilentia, in nonnullis Germaniæ civitatibus atque oppidis exorta, in Austriam penetrasset, Viennam corripuisset, atque Stiriam invasisset. Quo effectum est, ut, severioribus custodiis adhibitis, procul sævissimi mali suspicionem amoveri Senatus curaret; binique ordinario salutis magistratui Senatores adjecti, Antonius Landus, Marcius Procurator, Nicolaus Donatus, Leonardi olim Principis frater. Et quoniam eodem morbo Boffinam Illyrico finitimam vexari ferebatur, Marino Mutatio, Spalati comiti, ob frequentia quæ cum iis regionibus commercia intercedunt, salutis cura demandata. Namque urbs Spalatum insigne in Illyrico est emporium, quo non modo ex Boffina, Moesia, Macedonia, Thracia, Byzantio; verum etiam ex Asia mercatores confluunt. Magnæ ibi ac peramplæ ad mercimonia omnis generis reponenda substructiones his annis erectæ sunt, majoresque triremes ultro citroque cum negotiatoribus Venetias commeant; indeque haud parva publicis vectigalibus accessio facta est. Sed morbus, qui fervore æstatis augeri solet, hiemis frigore retusus, incrementa non suscepit, ab ea labe immunes Venetæ ditiones fuere.

*Germania
& aliæ pro-
vinciæ pes-
tilentia ve-
xata.*

*Marino
Mutatio
Spalati
salutis cura
demandata.*

*Hieronymus
Cornelii,
classis lega-
ti, contra pi-
ratas acta.*

*Octavius
Aragonius
septem tri-
remes turci-
cas capit.*

Æstate feliciter cum piratis Turcis ab Hieronymo Cornelio, classis legato, pugnatum. Cum enim Numidicas triremes quatuor in Adriaticum sinum (quem auriferum vocare solent) penetrasse cognovissent, Corcyra cum tribus triremibus solvens, piratasque Saffonem usque fortiter insequutus, multis interfectis, rostrata capta, bina nostrorum navigia ab iis intercepta recuperavit, reliquæ fugæ se dedere. Capta rostrata Mussolini percelebris piratæ fuit, qui, multis negotiatoribus illatis damnis, mari infestus a navigatione complures deterruerat. Eodem fere tempore (depressam quis ac fere extinctam tunc apud Turcas navalem fortissimæ gentis disciplinam admiretur?) Octavius Aragonius cum octo triremibus

Sici-